

Illustrat Fr. Connan. *comm. jur. civ. lib. 2. c. 1. n. 3.* Caterum, dum libertas per naturalem facultatem describitur, descriptio hæc descriptio angustior esse videtur, cum illi libertati, quam libertini non naturâ, sed ex factô manumittentis externô nanciscuntur, non possit applicari. Verum manumissio non novam confert libertatem sed facultatis potius liberè agendi cuius naturâ competentis exercitium servitute hætenus impeditum, & suspensum, sublatâ eâ, seu impedimentô restituit.

Effectus libertatis

VIII. Differentia desumpta est ab effectu, in agendi quicquid quis velit licentiâ consistente. Cum autem ille quàm sæpius se exserere non possit, & facultas faciendi quod velit, non effrenis & vaga, sed hominis in civili societate viventis legibusq; adeò remperata intelligatur, ideò verba illa, nisi si quid vi aut jure prohibeatur, subiecta. Nimirum vis illata libertatem non circumscribit aut minuit, ac si is, qui agere aliquid prohibetur, min⁹ liber sit, uti sentire videtur Hotoman *ad b. 5.* sed actum ejus secundum seu exercitium saltem impedit. Ex hinc à latronibus capti liberi maneat, ut ut ob captivitatem agere, quod velint, perpetuò non possint. *l. 3. pr. π qui test. fac. pos. l. 24. π de captiv. & postlim. revers. l. 1. pr. π de leg. 3.* Jus quoq; petulantem tantum licentiam, non autem veram ac honestam libertatem constringit: unde facta, quæ lædunt pietatem, existimationem, verecundiam & in genere contra bonos mores sunt, pro impossibilibus habentur *l. 15. π de condit. test. Hillig. Donell. enuch. lib. 2. c. 11. lit. E. Da. Struv. Synt. jur. civ. ex. 3. 1. b. 11.* Ulterius nostram libertatis definitionem servis quoq; applicari posse primò videtur intuitu, quod & illi, quicquid velint, agere possent, nisi vi aut jure prohiberentur. Verum servi non vi aut jure peculiari sed statu & conditione suâ, quâ in civili societate prædiri, agere, quod velint, prohibentur. Bachov. *ad Treutl. v. 1. diff. 2. 1. b. 2. lit. A. Frantz. k. comm. ad Dig. de Stat. hom. n. 14.*

Ad. 5. 11.  
Servitutis  
definitio

IX. Explicata libertate ad serviutem, contrarium libertatis privativum, ut loquitur Alb. Gentil. *l. 1. c. 5. digredior.* Genus, quo Imperator in descriptione ejusdem usus, metonymicum est, cum servitus non sit constitutio ipsa, sed actus potius jure Genium constitutus. Bachov. *h. 5. & Rebh. Hodog. Jur. p. 77.* Et ejusmodi metonymicæ locutiones in jure nostro quàm frequenter occurrunt

CURRANT